

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 6401

**Auteur(s) :** Mathieu de Moy [chevalier]

**Bénéficiaire(s) :** Rouen, Saint-Lô (prieuré)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1260, 25 novembre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Règlement avec Mathieu de Moy pour la monture.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses priviléges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° LVIII d, p. 380-382.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus presentibus et futuris quod cum controversia seu contentio moveretur inter me Matheum de Moy militem ex una parte et priorem et conventum Sancti Laudi Rothom. et priorem de Cresseyo nomine monasterii sui de Cresseyo ex altera super eo videlicet quod ego dictus Matheus petebam seu petere intendebam moltam in quodam feodo qui dicitur feodus Roberti le Cras quem idem prior de Cresseyo jure hereditario de me tenet in perpetuum apud Cresseyum et super tribus boissellis frumenti quos ego petebam ab eodem priore de Cresseyo singulis annis racione molte frumenti dicti prioris per annum ad usum prioris de Cresseyo predicti et familie sue et super quibusdam consuetudinibus et libertatibus quas idem prior et predecessores sui dicebant se habere a tempore a quo non extat memoria in duobus molendinis meis videlicet in molendino de Quesneto et in molendino de sancto Helerio. tamdem inter me et ipsos compositum extitit in hunc modum videlicet quod ego dictus Matheus de Moy miles pro me et heredibus meis dicto priori et successoribus suis totum predictum feodum qui dicitur Roberti dicti Crassi quem dictus prior tenet de me et heredibus meis jure hereditario sibi et successoribus suis ab omnibus moltis bene quicte pacifice liberum in perpetuum concedo et quietum. Predictus vero prior et eius successores ad quoddam ex molendinis meis predictis quocunque voluerint et sibi melius viderint expedire sine contradictione aliqua mei vel heredum meorum vel etiam servientium meorum impedimento seu etiam emenda de cetero blada sua molere poterunt libere et quicte ita tamen quod si forte famuli dicti prioris molendinum aperuerint ad molendum et ibidem ingravaverint semper sine contradictione aliqua poterunt dictum molendinum levare et totam farinam coligere libere et quicte. Et sciendum est quod nisi molendinum de mina bladi vel amplius adapertum fuerit pro non aperto reputabitur et farinam suam poterunt coligere prout superius est expressum. Dicti autem famuli dicti prioris et successorum suorum post primum quem ante eos invenerint ingravasse sive pauca sive multa ingravaverit statim consequenter et continue sine contradictione aliqua post eum molere permittentur et quantumcumque voluerint ad usus suos et familie sue sive parum sive multum unum solum bossellum grossi bladi de qualibet molta cursibilioris mensure in molendinum in quo molere voluerint et sibi videbitur melius expedire pro molta solvere tenebuntur. Preterea totum frumentum dicti prioris de Cresseyo et eius successorum ad usus domus sue pro uno solo boissello frumenti quaternario raso per annum libere debet moli michi et heredibus meis

annuatim ad nativitatem Domini persolvendum. Et si forte dicta molendina aliquo casu corruerint seu commode molere non valerent dictus prior et eius successores poterunt blada sua mittere aut portare ad quodlibet molendinum vellent alibi sine contradictione aliqua mei aut heredum meorum quos ad hec omnia specialiter obligavi donec reficerentur dicta molendina aut aliquod eorum ad molendum utile redderetur. Volo autem nichilominus et concedo quod si famuli seu molendinarii mei eosdem aliqua occasione impeditrent dictus prior me primitus requisito vel atornato meo seu preposito, si presens non fuero, et me vel aliquo eorum non sufficienter emendantibus prior et eius successores poterunt alibi molere prout superius est expressum. Pro huiusmodi autem confirmatione utilitate mea et heredum meorum pensata dicti prior et conventus dederunt michi de caritate sua duodecim libras turonensium michi in pecunia numerata pre manibus integre persoluta. Actum fuit hoc anno Domini millesimo cc<sup>o</sup> LX<sup>o</sup> die jovis in festo beate Katherine virginis. Que autem hec omnia prout superius sunt expressa inviolabiliter observentur presentibus litteris sigillum meum apposui. Testibus huius Domino Gaufrido de Escaquelond. Domino Willelmo Gotran militibus. fratre Hugone de Faveroles. fratre Radulpho Mostarde cononicis Sancti Laudi Roth. Roberto Cailleu, Rogero Rachine et pluribus aliis.